

QUESTIONES
EX GALENI LIBRO
PRIMO DE ELEMENTIS
DESUMPTÆ,

*Et in inclita Argentoratensis Academia
publici exercitij gratia propositæ*

MELCHIORE SEBIZIO, DOCTO-
RE ET PROFESSORE MEDICINÆ
ORDINARIO, COMITE PALATI-
NO Cæsareo, & Reipubl. Archiatro:

Respondente

JOANNE JACOBO WEPFER/ SCHA.
*F. C. Phusiano. Jpm.
Die 24. Sept.*



ARGENTORATI
Typis JOHANNIS GEORGII SIMONIS.
Anno M. DC. XLI.

Z



VIRIS
CLARISSIMIS ET EXCELLEN-
TISSIMIS,

- D. JOH. HENRICO BOECLERO, Eloquent.
Protels. in inclyta Argentorat. Universitate celeberrimo, Spectabili Facultatis Phil. p. t. Decano :
D. JOHANNI REBHAN U. J. D. & Institutionum
Juris Professori ibidem meritissimo :

UT ET VIRIS
AMPLISSIMIS ET CONSULTISSIMIS,

- D. JOH. JACOBO WEPFERO Senatoriâ dignitate apud Diessenhofianos eminentissimo ;
D. GEORGIO MICHAELI WEPFERO, Reipub. Schaphusianæ Secretario dignissimo :

DOMINIS Patronis, Fautoribus, Promotoribus,
Patruo, Parenti, multis nominibus & tatem
suspiciendis, colendis, amandis,


Has studiorum suorum primitias, in grati ani-
mi debitæque observantiae testimonium
ulterioremque sui commendationem



CP 133

D. O. D.

JOH. JACOBUS WEPFERUS,
Respond.



IN
LIBRUM GALENI
PRIMUM DE ELEMENTIS
SECUNDUM HIPPOCRATIS
SENTENTIAM

PRAELOQUIUM.



Uplicis generis elementa *Galenus* nobis libris duobus de elementis proponit: ea- que omnia secundum *Hippocratis* Coi sen- tentiam: nimirūm elementa omnium mixtorum corporum communia: & ele- menta sanguineorum animalium propria.

De illis agit libro primo: de his libro secundo. Illa sunt prima & simplicissima: hæc secunda, & ex ijs conflata. De utrisque autem *Hippocrates l. de Nat. hum.* tractat: & qui- dem primūm de elementis mundi: deinde de elementis animalium sanguine præditorum: quæ sunt 4. humores, qui massam sanguineam constituunt.

Libro verò primo, quem hac συζητίσει ad disputandum proposuimus, sequentes potissimum quæstiones explicat: I. quid sit elementum? II. quot & quæ sint elementa, & quæ pro elementis haberi nequeant? III. qualia sint, & quibus qualitatibus quodlibet sit præditum? IV. quomo- do mistis corporibus, homini præsertim, insint? purane &

A 2 since-

sincera: an alterata, totisque mutata substantijs: V. an eas habeant vires, ut possint esse omnium mixtorum corporum elementa: h. e. an insitae ipsis tales sint qualitates, quarum virtute possint alterari & immutari, non foris solum, sed & per totam substantiam, ut ex illis invicem mixtis generari queat aliquid à singulis diversum.

Partes libri sunt 3.

In prima, quæ primo absolvitur capite, quid elementum sit, exponitur.

In secunda quot & quæ sint elementa, ostenditur. Est autem pars hæc partim *ἀνατενεσιν*, refutatoria: partim *κατατενεσιν*, assertoria & probatoria. In illa falsæ opiniones de numero & conditionibus elementorum refutantur. In hac sententia propria, quæ etiam *Hippocratis* & *Aristotelis* fuit, proponitur.

Possunt autem majoris perspicuitatis gratia istius partis iterum 4. membra constitui.

Primum aliorum recenset de numero elementorum opiniones, easque refutat cap. 2. 3. & 4.

Secundum quæ *Hippocratis* & *Aristotelis* sententia fuerit, significat, & quomodo elementa mixtis corporibus insint, declarat: cap. 5.

Tertium ad *Athenæum Attaleum* digreditur, qui elementa adeò evidentia esse putabat, ut nulla demonstracionem opus habere crediderit: & non corpora ipsa, ignem, aërem, aquam, & terram, sed qualitates primas, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, pro elementis habebat: cap. 6.

Quartum monet, *Hippocratem* quidem aliquando elementa qualitatum nomine exprimere: sed inaudire ipsa corpora atque substantias, quibus qualitates insunt. Ipsas enim substantias & corpora pro elementis habere, non qualitates, quæ accidentia sunt: cap. 8.

II

In *tertia parte*, quæ cap. 9. continetur, planum fit, in-
esse 4. elementis ejusmodi vires, h. e. facultates & qualita-
tes, quarum causa elementa rerum mixtarum esse pos-
sint. Per eas enim posse elementa in se mutuò transmu-
tari, varijsque modis per totam substantiam alterari.

Nos brevitatis & perspicuitatis studio præcipuas quæ-
stiones ex hoc libro excerptemus, & quid ad illas responde-
ri debeat, secundum *Galeni* mentem declarabimus.



Q U A E S T I O I .

Quid sit Elementum ?

Respondet Galenus, elementum esse ἐλάχισον μόριον ἔπειρον ή. scilicet, minimam rei particulam, cuiuscunque fuerit elementum. Cùm verò minimum vel id dicatur, quod ὅλως καὶ φύσει, reverè & naturâ tale est: vel quod sensui tantum tale videtur: sciendum, vocari minimam particulam priori, non posteriori modo. Non enim particula, quæ minima, simplicissima, & prima videtur, sed quæ φύσει talis est, verè ele-
mentum existit: hocque Galenus tribus modis probat. I. authoritate
& testimonio Hippocratis. Is enim, cùm humana natura elementa con-
siderare decrevisset, ea sanè, quæ πρὸς τὴν αὐθητινὰ πλάγατα καὶ τρώτα
φέρεται, sensus iudicio simplicissima primaque habentur, neglexit: quæ
verò ὅλως καὶ φύσει, reverè ac naturâ talia sunt, inquisivit. Horum nam-
que cognitio ad curandos morbos partium similarium maximè utilis est
& necessaria.

II. quia si ea, quæ ad sensum minima sunt, elementa statuenda
essent, plurima certè minima non forent elementa: quoniam plurima, ma-
ximè illa, quæ in tenuissimum pollinem trita sunt, & inter se permista,
non videntur: sed unum quid esse putantur, quantumlibet unum ne-
quaquam sint.

III. quia si illa diceremus rerum elementa esse, quæ prima &
minima particula πρὸς τὴν αὐθητινὰ videntur, non eadem ab omnibus ele-

menta judicarentur: sed alia viderentur elementa aquila & lynx, alijs
brutis atque hominibus, qui sunt ὀξυωτέσσοι, visus acumine maximè
prstant: alia alijs, qui visum habent obtusiorum. Quò enim visus es-
set acutior, ed etiam res minutissimas magis sentirent, illasque pro ele-
mentis haberent. Quò vero esset hebetior, ed minus illas cernerent. Ideo-
que neque illas pro elementis agnoscerent: quas agnoscerent tamen oculi
visus perspicacissimi. Quapropter, cùm de elementis corporis humani
aliarumque rerum mixtarum agendum est, non ea investiganda sunt,
quæ prima & simplicissima sensui videntur: sed quæ talia sunt τὴ φύ-
ση, naturā, καὶ μηνέτεροι ἄλλαι διαιλυθῆναι δυνάμενα, quæque in alia se
priora & simpliciora dissolui nequeunt.

Ex quibus Galeni verbis liquet, definitionem elementi traditam,
non re, sed verbis solum ab ea, quam Aristoteles l. 3. de cœlo c. 3. &
l. 4. metaphys. c. 3. proponit, differre.

Per minimam enim particulam Galenus non intelligit eam, quæ
neque in materiam & formam: neque in partes dividi potest.

Cùm enim elementa corpora sint, ut materiam & formam, tan-
quam principia essentialia, & partes totum integrantes habeant necesse
est. Ideoque & in materiam atque formam, & in partes secari possunt.
Sed per minimam partem inaudit illam, quæ prima est & simplicissima,
quæque in corpora se priora & specie diversa dividī nequit. Est nam-
que elementum secundum Galeni sententiam, rem si spectes, corpus sim-
plex, in quod corpora mixta, quibus inest, dividī possunt: ipsum autem
in alia corpora resolvi nequit.

Quapropter elementa corpora appellari possunt composita & incom-
posita: dividua & individua: prima & ultima.

Composita dicuntur ex materia & forma. Incomposita, quoniam
ex corporibus se prioribus & simplicioribus non constant.

Dividua sunt in materiam & formam: itemque in suas partes in-
tegrantes: quarum causa dividua dicuntur κατὰ τὸ μέγεθος: & quidem
in infinitum: quoniam corpora sunt continua. At τὸ συνεχὲς διαιρετόν
էσι εἰς ἀεὶ διαιρετὰ, inquit Aristoteles l. 1. de cœlo c. 1. continuum
divisibile est in ea, quæ iterum semper dividī possunt: vel, ut idem l. 1.
Phys. c. 2. docet, εἰς ἀπειρον διαιρετὸν τὸ συνεχὲς, continuum divisibile
est in infinitum. Individua sunt κατὰ τὸ ἕαδος: quia, uti dictum, in
corpora alia specie differentia secari nequeunt.

Deniq; prima sunt, ratione συνθέσεως: quoniam priora & simili-
ciora

ciora corpora non dantur, quæ mixta constituant Ultima, ratione
ἀναλίσεως: quia mixta in elementa ultimo resoluuntur: cumque in
ea resoluta sunt, ulterius in corpora alia resolui non possunt.

Q U A E S T I O N E II.

Quæ fuerint veterum Philosophorum de numero
principiorum & clementorum sententiæ?

Galenus scribit, plures quidem priscis seculis statuisse, unum tantum
rerum omnium principium & elementum esse: sed inter se discrepasse
plurimum. Ideoque in certos ordines illos dividit. Quidam enim,
ut Melissus, ἐν τῷ ἀριθμῷ, unum numero elementum, idque ἀμετάβλη-
τον καὶ ἀπειρόν, intransmutabile & infinitum ponebant: ac propereā co-
acti fuerunt dicere, ὃντα τὸ πᾶν, omnia esse unum quiddam immuta-
bile & infinitum. c. 4.

Nonnulli unum quidem, at non numero, verū τῇ ἰδέᾳ, specie,
sive forma fingebant: ut Epicurus, Democritus, Leucippus: idq; ἀποίον,
qualitas expers, ἀπαθήσ, imparibile, καὶ ἀναλλοίωτον, inalterabile: &
varij illud nominibus exprimebant. Alii namque vocabant ἀτόμα, sive
ἀτομα σώματα, individua corpora, ijs corpusculis similia, quæ in aëre, ra-
diis solaribus per fenestram ingredientibus collustrato, sursum deorsum-
que feruntur: quemadmodum Aristoteles I. de Anima cap. 2. & Gale-
nus I. nat. fac. c. 14. monent. Alij corpuscula hæcce nominabant ἐλάχιστα,
minima, ἄναγμα, incompacta, ἀμέριστα, impartibilia: de quibus vulgare
illuderat Democriti, ὃν καὶ μηδὲν ἔστι τὰ πάντα, omnia unum sunt &
nihil. Per τὸ ἐν enim intelligebant τὰς ἀτόμας: quod omnes unius ejus-
demque essent natura & essentia, sive unius formæ & speciei. Per τὸ
μηδὲν verò inaudiebant vacuum spatum infinitum, in quo hujusmodi ἀ-
tomoi moverentur in ærum, & ex quorum conjunctione res generaren-
tur: sicut Galenus I. de elem. c. 2. docet.

Aliqui, inter quos Thales, Anaximenes, Anaximander & Hera-
clitus numerantur, etiam unum tradebant principium: idque similiter
ἐν τῇ ἰδέᾳ: sed non, ut præcedentes, ἀποίον, ἀπαθήσ, καὶ ἀναλλοίωτον:
verū παθητικὸν καὶ πεποιημένον, patibile & qualitatibus instructum:
idque eorum alij dicebant esse Aquam: alij Aërem: alij Terram: Ignem
alij: & somniabant materiam quandam communem, quæ hisce subjecta
esset

esset elementis: docebantque, per rarefactionem & densationem mutuam fieri horum principiorum, sive elementorum transmutationem. Rarefactam enim aquam verti in aërem: adhuc magis raram redditam in ignem. Eandemque etiam cæterorum elementorum esse rationem credebant. Nam si terra aliquantulum & moderatè rarefescat & fundatur, in aquam converti opinabantur: si magis, in aërem: si maxime in ignem. Ita si ignis densemetur, & quasi in se ipsum cogatur, in aërem transire arbitrabantur: si id ipsum magis patiatur, in aquam: si plurimum densemetur, in terram. Ibid. c. 4. Hi ergo posteriores, qui in tertio ordine collocati, 1. in eo conveniebant, quod unum elementum unumq[ue] principium rerum omnium statuerint. 2. quod elementis ac principiis à se positis communem quandam materiam subjectam esse dixerint. 3. quod per rarefactionem & condensationem mutuam fieri suorum elementorum transmutationem fuerint arbitrati. Differunt autem inter se, quod alius aliud elementum crediderit rerum omnium principium: Heraclitus Ignem: Anaximenes Aërem: Thales Aquam: quemadmodum Aristoteles l. 3. de cœlo cap. 5. refert.

Q U Æ S T I O III.

Quo loco numeroque Galenus habeat eorum sententiam, qui unum duntaxat elementum posuerunt?

In fine cap. 3. scribit, stolidam esse tam Physicorum, quam Medicorum opinionem, qui unum tantum, vel hominis, vel etiam universi elementum statuerunt: miraturque in principio cap. 4. qui factum, quod ejusmodi homines in aliqua fuerint existimatione: cum tamen nequidem probabiles placiti sui rationes attulerint?

Longè vero absurdissimam Melissi ac Parmenidis dicit esse sententiam, eamque & Physicæ, & Medicinæ tollere principia asseverat, cap. 5.

Quod Physicæ tollat principia, sic probat. Quia sententia tollit generationem & interitum, uno verbo, metum omnem, ea tollit principia Physicæ: quoniam Physica in genere circa motum, & in specie circa generationem atq[ue] interitum corporum naturalium in primis est occupata. At sententia Melissi & Parmenidis tollit generationem atque interitum, motumque omnem: quia unum rerum omnium principium, idque æternum statuit. E. tollit principia Physicæ. cap. 5.

Quod

Quod Medicinæ principia destruat, duobus modis confirmat.

I. Q. destruit motum & consequenter etiam generationem & interitum rerum, id quoque destruit Medicina principia. Ratio est: quoniam Medicina est quasi generationis & interitus ministra: dum scil. (addimus nos) causas generationis & destructionis hominis meditatur: & quomodo amissa sanitas recuperanda sit, & quasi de novo generanda: quemodoque affectus p. n. sint submovendi, docet.

At sententia Melissi ac Parmenidis destruit motum, & consequenter etiam generationem atque interitum: quoniam unum & immutabile rerum principium statuit. E.

Destruit quoque Medicinæ principia. cap. 5.

II. Q. sententia demolitur varias ac multiplices medendi rationes, ea quoque demolitur Medicinæ principia. At sententia Melissi ac Parmenidis hoc facit. E.

Demolitur etiam Medicinæ principia. cap. 5.

Minor probatur. Q. sententia tollit motum & mutationem omnem, ea quoque tollit passiones atque affectus præter naturam: quoniam hi non nisi ex alteratione temperamenti in partibus similaribus, & mutatione legitima compositionis in partibus dissimilaribus, & unitatis solutione in partibus utrisque nascentur. At sententia Melissi & Parmenidis tollit motum & mutationem: quia unum immutabile & infinitum principium rerum omnium ponit. E.

Tollit etiam corporis nostri passiones atque affectus.

Q. autem tollit passiones & affectus, id etiam tollit medendi rationes, quibus affectibus auxiliamur. At sententia horum Philosophorum tollit passiones atque affectus. E.

Et medendi rationes, quibus illis auxiliamur. cap. 5.

Quod si maximè concedere vellemus, corpus nostrum, etiam stante Parmenidis ac Melissi opinione, affectus præter naturam pati: concedere tamen non possemus, uno tantum modo id pati. At unustantum patiendi modus secundum hanc sententiam foret: quia unum tantum rerum omnium principium fingit.

Non pati autem corpus nostrum uno tantum modo, h. m. probatur.

Si unus tantum esset patiendi modus, unicusq; affectus, sequeretur, unicam etiam medendi rationem esse. At consequens est falsum. E.

Et antecedens.

Consequens falsum esse sic demonstratur. Si plura sunt remedio-

B rum

rum genera, siue Medicinae incumbit, excogitare ea, qua cuilibet morbo
maxime salutaria sunt & conducibilia, quod minus in curando aberretur,
sequitur, unica rationem non esse. At plura sunt remediorum
genera, & Medicinae incumbit, excogitare ea, qua cuilibet morbo maxime
salutaria sunt & conducibilia: E. una medendi ratio non est. cap. 5.

Q U A E S T I O IV.

Quo pacto Hippocrates eos omnes, qui unum tan-
tum principium, sive elementum hominis
statuunt, redarguat?

Galenus l. 1. de elem. c. 2. scribit, Hippocratem l. de nat. hum.
eos omnes, qui unum tantum hominis elementum statuerunt, uno gladio
jugulare: qui tamen, ut melius intelligatur, sequentia premitenda sunt
fundamenta.

I. est: hominem variis esse doloribus obnoxium: cap. 2.

II. eum, qui dolet, alterari & sentire debere. Nam quod est
avallor, ab omni prorsus alteratione immune, id eundem planè sta-
tum, quem sortitum est à principio, servat.

At quod dolet, eundem statum non servat. Quodsi alteraretur
quidem, sed sentiendi facultate careret, nihilo magis affectiones prater
naturam sentiret, quam lapides & ligna. Nam hæc corpora alteran-
tur quidem in primis q. qualitatibus: sed alterationem minimè sentiunt:
quia sensu destituuntur: cap. 2.

III. Nihil agere in se ipsum, neque à se ipso pati & alterari: sed
agere semper in aliud: & ab alio quoque pati: cap. 2.

Hisce jactis fundamentis, cum Hippocrate sic argumentamur.

Si homo esset unum, b. e. si ex unico simplici corpore constaret, nun-
quam doleret. At experientia testatur, eum variis esse doloribus exposi-
tum. E.

Ex unico simplici elemento non constat. cap. 2.
Consequentia majoris probatur.

Ibi nullum est agens & patiens, ibi nullus est dolor. At si homo
unum quid esset, nullum agens & patiens esset. E.

Si homo unum esset, nullus foret dolor: ac propterea homo minimè
doleret. cap. 2.

Major probatur. Ibi desiderantur principia ad generandum do-
lorem

lorem necessaria, ibi nullus dolor est. At ubi agens & patiens desiderantur, res scil. alterans, tanquam principium activum: & corpus, quod alterationem sentit, veluti principium passivum, ibi desiderantur principia ad generandum dolorem necessaria. E.

Ubi nullum agens & patiens, ibi quoque nullus est dolor.
Minor stabilitur ex fundamento tertio: quod nihil in se ipsum agat, sed in aliud: & nihil à se ipso patiatur, sed semper ab alio. Ex quo consequitur, in eo, quod unum quid & simplex est, agens & patiens esse non posse. Sic ergo ratiocinamur.

Q. est unum & simplex, in eo agens & patiens esse nequit. At secundum adversariorum opinionem homo unum quid est & simplex. E.

In eo, si unum quid esset, & ex unico elemento compositus, nullum foret agens & patiens. cap. 2.

Huic rationi, quæ à dolore petita, quæque per se sola ad demonstrandam elementorum pluralitatem nostri corporis validissima est, adjungit Hippocrates l. de nat. hum. aliam, quæ à curandi ratione deducta.

Si homo ex uno esset conflatus elemento, unum quoque esset remedij genus, unusque curandi modus. At consequens est falsum. E.

Et antecedens. cap. 3.

Major probatur. *Ubi unicus solum est affectus, ibi unicum tantum est remedium, unaque curandi ratio, quæ illi opponitur. Unum enim uni est contrarium, ait Aristoteles in postprædicamentis. At si homo esset ex uno conflatus elemento, unicus tantum esset affectus, qui naturæ, quæ cuiuslibet rei una est, adversaretur. E.*

Si homo ex uno solum conflatus esset elemento, unum tantum esset remedij genus, unaque curandi ratio: h. e. unicus tantum modus foret redeundi ad statum naturalem, qui nil est aliud, quam curandi ratio. cap. 3.

Minor confirmatur. *Si non omnes uno eodemque modo curantur, sequitur, non esse unum remedij genus, neque unum curandi modum. At non omnes uno eodemque modo curantur. E.*

Neque unum est remedij genus, neque unus curandi modus. cap. 3.

Hæc minor rursus sic probatur. Si hominum alij calefientibus, alij refrigerantibus, alij humectantibus, alij siccantibus, alij densantibus, alij rarefacentibus, alii aluum laxantibus, alii eandem astrigentibus, alii dulcibus, alii salsis, alii amaris, acerbis alii curati-

merunt medicaminibus, sequitur, non omnes uno eodemque modo curari.
At prius verum est, ut docuit experientia. E.

Verum est & posterius, quod non omnes uno eodemque modo cu-
rentur. cap. 3.

QUÆSTIO V.

Quodnam fuerit Galeni judicium de argumenta- tione Hippocratis contra unitatem elementorum

Galenus l. i. de elem. c. 2. eam vehementer commendat, solidèque
probare dicit, quod intendit. Ex abundanti tamen ipse quoque aliquid
contra illos maximè in medium adfert, qui unum quidem, at non nu-
mero, sed τῇ idéᾳ, specie, sive forma elementum fingeant, idque ἀτο-
μοί, ἀναλογούντες αὐτοῖς: quales erant Epicurus, Democritus &
Leucippus: qui ἀτόμοι, corpuscula ἐλάχιστα, ἀμερῆ, καὶ ἀραιά rerum
elementa somniabant. cap. 2.

Ponatur, inquit, acutissima quempiam acu pupugisse cutem. Hic
sanè fieri nequit, quin animal doleat. Dolet autem, vel quia una ἀ-
τομή, vel quia due, vel quia plures sunt compunctæ. At ex punctura
unius atomi dolere nequit: quod hunc in modum probat.

Q. est ἀτόμοι, id perforari non potest. Nam si perforaretur, πα-
θητικὸν foret. Atqui ἀτομοί sunt corpuscula ἀπαθῆ. E.

Perforari non possunt. cap. 2.

II. Q. est αὐτοῖς, id, si maximè pateretur, passionem tamen minimè
sentiret, ac proprieà non doleret: quia ut aliquid doleat, duo-concurrere
est necessum: nempè ut pati & alterari possit: & ut impressam sibi passionem
atque alterationem sentiat. Atqui ἀτομοί sunt corpuscula αὐτοῖς. E.

Si maximè paterentur aliquid, illud tamen minimè sentirent: &
per consequens etiam non dolerent. cap. 2.

Eadem ratio valet, si dicatur, acum duas, tres, pluresue tetigisse ἀτό-
μους. Nam ne rūm quidem animal doleret: quoniam ἀτομοί duas, tres,
aut plures, εἰκῇ sunt corpora ἀπαθῆ & perforari nequeunt, & corpuscu-
la sensus expertia, ac una. Sunt enim unius ejusdemque naturæ. Ideo-
que quicquid de una dicitur, dici quoque potest de pluribus. Quod ergo
constat ex principiis imparabilibus & sensu carentibus, id ipsum quoque
ἀπαθῆ

ἀπαθήσ καὶ ἀνάδυτοι σι τοι οποτετ. Ατ corpora animalium secundum
Democriti, Epicuri & Leucippi opinionem constant ex talibus principiis.
E. & ipsa ἀπαθήσ καὶ ἀνάδυται sunt. cap. 2.

Major probatur experientia & ratione, quae sunt inventionis re-
rum instrumenta. cap. 2.

Experientia quidem: quoniam si multos adamantes, aut alia qua-
vis corpora συσταθέσαται, quae ad patiendum minus sunt idonea, in acer-
vum coegeris, coactaque ferire volueris, certè nunquam acervo isti plagam
infliges. Ratio est: quoniam corpora, ex quibus acervus factus, præsup-
ponuntur ἀπαθήσ. Quodsi etiam concederimus, fieri posse, ut acervum
vulneres, inflictum tamen vulnus minimè sentiet. Causa est: quia rur-
sus præsupponitur, corpora acervum componentia esse ἀνάδυτα. Veri-
simum ergo est, nil pati & sentire posse, quod ex principiis constat impati-
bilibus & sensu privatis. cap. 2.

Ratione verò: quia si nullo modo, ne minimæ quidem particula
membrorum nostri corporis patiuntur, passionemque sentiunt & dolent,
sequitur, neque totum corpus pati, aut dolere posse. At si dicatur, cor-
poris nostri principia esse ἀπαθήσ καὶ ἀνάδυτα, ne minimæ quidem mem-
brorum illius particula patiuntur, passionemq; non sentiunt, neg; dolent. E.

Neque totum corpus patitur ac dolet. cap. 2.

Sed fingamus, ἀτόμως sensum habere: at imparibiles esse: sequetur ne
propterea, animal dolere posse: minimè gentium: quia Atomorum Pæ-
troni dicunt, corpus nostrum ex illarum solum complexu & commissione,
sive congregatione compositum esse. Ideoque ex illarum separatione
dolorem suboriri. Ex quo Galenus sic infert. Si neque digiti, neque
ulla alia corpora, quae tamen reverè sentiunt, dolorem excitant, si maxi-
mè à se invicem separantur, sequitur, neque ἀτόμως dolorem creaturas,
si acu, non quidem vulnerentur, sed duntaxat divellantur. At prius verum
est. E. & posterius. cap. 2.

Quodsi dolere animal non possit, quantumlibet sensus concedatur:
multò minus dolere poterit, si sensu orbis ἀτόμως statuamus: quemad-
modum statuerunt earum inventores. At dolere nequit animal, si vel
maximè sensum ijs tribuamus. E.

Multò minus dolere poterit, si plane ἀνάδυτoi atomi dicantur. c. 2.
Sed invertamus propositionem, & ponamus, ἀτόμως pati posse: esse
autem sensus expertes: concluderetur, animal doliturum? Ne-
quaquam. Nam quod dolet, alteratur, & alterationem sentit

cum molestia. At hac ratione animal alterationem non sentit. E.

Non dolet. cap. 2.

Quapropter, sive dicamus, ἀτόματα impatibiles quidem esse, sed sensus habere: sive afferamus, pati, at passiones non sentire: sive affirmemus, & impatibiles & insensiles esse, animal dolere non potest. Causa est: quia dictum, ad doloris generationem duo necessariò concurrere: alterationem subito & violenter factam, & facta alterationis sensum, sive perceptionem. At utrumque desideratur in opinione, qua & alterationem, sive passionem, & sensum tollit. Alterationis vero perceptio desideratur in sententia, qua sensum demit. Alteratio ipsa desideratur in doctrina, qua & passionem afferit. Nam quod est ἀπάθεστο, id etiam est ἀναλογιστον. Fieri ergo non potest, ut corpus sentiendi facultate praeditum, quale est animatum, ex elementis ortum ducat, qua & sint ἀπάθητα καὶ ἀναδύτα. cap. 2.

Hac eadem ratione illorum quoque figmentum evertitur, qui inter elementa ὄμοιομερίας posuerunt. Dicebant enim, quasdam illarum sentire: omnes autem planè esse impatibiles. Nam quod dolet, id non solum sentit: sed etiam patitur & alteratur. At corpora ex ejusmodi ὄμοιομερίαις composita non alterantur: quoniam principia illarum statuuntur ἀπάθητο. E.

Neque dolent.

Ex his Galenus duo colligit πορίσματα. Unum est: si elementum non potest esse ἀπάθεστο, sed necessariò est πάθητον, non erit etiam specie unum, quale Epicurus, Democritus & Leucippus sibi imaginabantur: secus ac Melissus & Parmenides, qui elementum unum ἀφίθητο: ipsi autem unum τῷ ιδέᾳ tantum & facultate, non numero unum ponebant. cap. 2.

Alterum: elementa nostri corporis patibilia omnino esse, sive sentire, sive non sentire dicantur: h.e. alterari & transmutari posse. cap. 2.

Prius probatur. Q. est unum, id est ἀπάθεστο. At elementa non sunt ἀπάθητα, sed πάθητα, ut mox probabitur. E.

Non sunt unum.

Major confirmatur. Ibi est passio & transmutatio rerum, ibi sunt plura. Nam quod transmutatur, in aliud quid transmutatur: & quod patitur, ab alio patitur. At ubi unum, ibi plura non sunt. E.

Ibi unum, ibi nulla passio, nulla transmutatio. cap. 2.

Posterioris h. m. stabilitur.

Si datur rerum generatio ex elementis, si que res generantur, que ab elementis specie diverse sunt, sequitur, elementa esse πάθητα: h.e. talia corpora

corpora, quæ in se mutuo agere, & à se invicem pati possint. Atqui datur rerum generatio, generanturque res specie ab elementis diversæ, ut testatur àvñofia. E.

Elementa sunt παθητικά.

Consequentia Majoris probatur ex contrario: quia si statuatur, elementa ac principia rerum esse ἀπαθή, & talia manere, qualia erant in principio, res certè inde productæ novas formas non acquirent: sed habebunt eas, quæ etiam in principio & elementis suis præsuerunt. At si varientur multifariam, transmutentur atque alterentur, poterit tunc in compositis aliquid suboriri, quod ab ipsis, quæ prius erant in primis elementis, sit generis alterius. cap. 3.

Hanc rem Galenus exemplo domus illustrat. Hæc enim ex lapidibus, lateribus, lignis & tegulis est constructa. Ideoque cùm principia ista materia-
lia non alterentur & transmutentur, sit, ut domus nihil habeat, quod non eodem contineatur genere, quo illa, quæ in materia præerant. Præerant autem in materia & durities, & gravitas, & magnitudo, & figura, & co-
lor: At hæc ipsa accidentia etiam in domo reperiuntur. Quid ita? Quia
materia domus non fuit alterata: sed talis permansit ratione substantiae,
qualis erat antè.

Q U Æ S T I O VI.

Quotnam sint elementa hominis secundum
Hippocratis & Aristotelis sen-
tentiam?

Galenus respondet, q. esse: Ignem, Aerem, Aquam, & Terram: hunc-
que quaternarium numerum sequentibus probat argumentis:

I. est. Ex quot elementis constat μεγαλόκοσμος, ex totidem etiam con-
fatus est μικρόκοσμος.

At ex 4. elementis constat μεγαλόκοσμος: ut testatur sensus, cui con-
tradicere nefas. E.

Ex totidem etiam conflatus est μικρόκοσμος, homo. cap. 5-

II. In quot elementa homo post fata resolvitur, tot sunt elementa, ex
quibus constat. At in 4. elementa resolvitur. E.

Quatuor sunt elementa, ex quibus constat. cap. 8.

III. Quot corpora elementis analogia quadam respondentia repe-
riuntur



riuntur in homine, alijsque animalibus, tot sunt elementa. At 4. corporum genera elementis ἀναλογικα quada respondentia reperiuntur in homine. E.

Quatuor in illo sunt elementa. cap. 5.

Minor probatur. Si in homine visuntur corpora 1. frigida, sicca, dura, gravia, solida atque densa; 2. humida, frigida & fluida; 3. calida, humida, levia & rara; 4. calida, sicca, & valde levia atque mobilia, sequitur, 4. in illo esse corporum genera, ἀναλογικα elementis respondentia. At prius est verum. E. & posterius. cap. 5.

IV. Ex quibus generantur plantæ, earumque partes & fructus, ex ipsisdem quoque generantur animalia, & consequenter etiam homo. At plantæ generantur ex quatuor elementis. E.

Ex ipsisdem etiam animalia; & consequenter quoque homo generantur. cap. 5.

Major probatur. Q. nutritur & augetur plantis, id ex ipsisdem elementis generatur, ex quibus plantæ. Nam qualis est materia, tale est & materiatum, ajunt Philosophi. Item, quod est causa causæ, est etiam causa causati. At qui animalia nutriuntur & augmentur plantis: oves v. g. herbis: porci glandibus: caprae teneris arborum fructicorumque ramis. E.

Ex ipsisdem, & totidem elementis generantur, ex quibus plantæ. cap. 5.
Minor confirmatur. Videmus enim, plantas ex terra nasci: at non sola: sed aquarigata. Hac enim illis pabulum præbet. Quod si ex aqua & terra constant, constabunt etiam ex aere & igne. Ratio est: quia si terram aquâ maceraveris, nil inde nisi lutum habebis. At plantæ & fructus earum merum lutum non sunt. Itaque necesse est, ut partem habeant ab igni & aere simul per tota temperatis. Generantur enim ex terra imbris imbuta, accidente aëris temperie & calore moderato. Sic ergo argumentari licet. Q. constat ex aqua & terra, id etiam constat ex igni & aere. At plantæ constant ex aqua & terra, ut notum omnibus. E. & ex igni ac aere. cap. 5.

V. Quibus mediocriter se habentibus animal conservatur & valet: & quibus aut vehementius auctis, immutatis, aut penitus sublatis, animal corruptitur & agrotat, ex ipsis animal constat. At mediocriter 4. elementis, eorumque qualitatibus se habentibus, animal conservatur ac valet. Horum v. aliquo immodecè aucto, aut imminuto, aut sublato, corruptitur. E.

Ex 4. elementis animal constat. cap. 6.

VI. Quæ elementa monstrat ἀνάλυσις & σύνθεσις hominis, ea vera sunt hominis elementa atque principia. At qui ἀνάλυσις & σύνθεσις homi-

hominis docent, quatuor tantum esse elementa hominis. E. Et vera sunt illius elementa.

Minor probatur de *ἀνάλυσει*. Nam si corpus humanum resolvatur in partes maiores: & has rursus in minores, tandem ad ultimas & simplissimas pervenies, similares appellatas, quae in alias specie differentes, seque priores ac simpliciores resolvi nequeunt, sed omnes earum portiones eandem planè formam habent. Quamvis autem simplices videantur sensus iudicio, hancque ob causam *σοιχεῖα πρὸς αὐθεντικὰ* elementa sensibilia dicantur: ratio tamen docet, has factas esse immediate ex elementis quibusdam alijs, sanguine scil. bile, pituita & melancholia. Humores deinde istos genitos esse ex cibis & potibus, corporis nostri alimentis. Cibos & potus procreatos ex igne, aëre, aqua & terra, ut antea probatum. Quatuor vero hæcce corpora ex nullo alio corpore constitutæ esse: sed ex materia solum & forma constare, suisque instructa esse qualitatibus. *Ἀνάλυσις ergo corporis humani est sextuplex.* I. in partes dissimilares maiores. II. in dissimilares minores. III. utrarumque insimilares. IV. similarium in 4. humores. V. humorum in cibos & potus. VI. ciborum & potuum in 4. elementis: quæ nullam ulteriorem *ἀνάλυσιν* patiuntur præter eam, quæ est in materiam & formam. cap. 8.

Deinde de *σύνθετει*, quæ supra quoque indicata. Etenim ex terra pluviis rigata, accedente aëris temperie conveniente, & calore moderato, videmus nasci triticum, hordeum, ficus, legumina &c. uno verbo, stirpes, earumque partes & fructus. Deinde ex hisce ali comperimus animalia. Homines vero partim plantis, partim carnibus animalium, quæ plantis pastæ fuerunt, sustentari novimus. Tum 4. hominis humores ex alimentis procreari scimus. Ex humoribus semen provenire genitale compertum habemus. Denique ex semine fœtum generari & formari: materno vero sanguine ali, augeri, & ex illo secundum carnosam substantiam constitui faciemur. Deprehendimus ergo quintuplicem *σύνθεσιν*. I. Hominis ex semine. II. Seminis ex humoribus. III. Humorum ex alimentis, quæ sunt stirpes & animalia. IV. Animalium ex stirpibus. V. Stirpium ex 4. elementis. cap. 5.

QUÆSTIO VII.

Quibus nominibus Hippocrates elementa exprimat?

Respondet Galenus c. 8. Hippocratem elementa aliquando suis ex
C prime-

primere nominibus, Ignis, Aëris, Aquæ, & Terra: nonnunquam vero qualitatum: calidi, frigidi humidi, & siccii: uti patet ex I. de nat. hum. & I. de hominis structura. Habent enim hæc vocabula triplicem significacionem: quemadmodum Gal. c. 6. & 8. exponit. I. enim nudas dunt axat qualitates patibiles sonant, quæ accidentia sunt. II. excellentiam & exuperantiam quandam denotant. Calidum enim id dicitur, in quo caliditas alias qualitates in mistione superat: frigidum, in quo frigiditas predominatur: humidum, in quo humiditas vincit: siccum, in quo siccitas excellit. III. corpora significat illa, quæ hisce qualitatibus summis sunt prædita.

QUÆSTIO VIII.

Utrum Hippocrates per τὸ calidum, frigidum, humidum & siccum nudas elementorum qualitates intelligat?

Hippocratem per hæc nomina non nudas qualitates, sed substantias & corpora elementorum, Ignem scil. Aërem, Aquam & Terram, quibus hæc qualitates insunt, inaudire, Galenus ex ipso contextu Hippocratis c. 8. I. elem. planum facit.

Scribit enim I. de nat. hum. § 14. cum homo interit, necesse esse, unumquodque rursus ad suam ipsius naturam redire: siccum ad siccum: humidum ad humidum: calidum ad calidum: frigidum ad frigidum. Hinc Gal. sic ratiocinatur:

Q. animali vita defuncto abit, & elementis universitatis permiscentur, id Hippocrates hoc loco inaudit. At animali defuncto vita substantiae elementorum abeunt, & elementis Universitatis permiscentur, non qualitates: quæ animante mortuo interire fortassis dici possunt: ad propriam autem redire naturam non item. E.

Hippocrates hic substantias & corpora elementorum, non solas qualitates inaudit. cap. 8.

Deinde idem Hippocrates ibid. § 15. 16. & 17. dicit, hanc esse omnium animalium, omniumque mistorum corporum naturam, ut omnia similiter oriantur, similiterque occident. Naturam enim eorum ex 4. elementis constare: ac propere à unde quodlibet illorum ortum habuit, in id ipsum etiam pariter desinere: ac proinde ad id ipsum tandem redire. Unde Galenus hunc in modum argumentatur.

Ex

Ex quibus rebus omnia animalia & mista corpora constituuntur, & in quas iterum dissoluuntur, eas Hipp. hic indigitat, cum de οὐνθέσει & ἀνάστασι eorum verba facit. At ex substantijs elementorum omnia animalia mistaque corpora constituuntur, & in illas rursus dissolvuntur. E.

Eas Hipp. hoc loco indigitat: & propterea, cum dicat, mista corpora ex calido, frigido, humido, & sicco constare, & in illa iterum resolvi, non nudas qualitates, sed omnino substantias elementorum, quibus istae qualitates inherent, intelligit. cap. 8.

Tertiò eodem in libro § II. asserit, mista corpora ex elementis certo modo temperatis generari. Nisi enim, inquit, calidum cum frigido, & siccum cum humido se moderate & equaliter habuerint: sed alterum, quod valentius, alterum, quod imbecillius est, plurimum superet, nullam unquam futuram esse generationem. Ex quo Galenus sic infert.

Ex quibus rebus mistæ corpora generantur, eas Hipp. loco allegato intelligit, cum de principiis materialibus generationis rerum loquitur. At qui non ex qualitatibus, sed substantiis elementorum, quibus qualitates illæ primæ inherent, mista corpora generantur. Qualitates enim ne seorsim quidem à corporibus subsistere queunt. E.

Hipp. non qualitates, sed qualitatum subjecta, ipsas nimirūm substantias, intelligit. cap. 8.

QUÆSTIO IX.

Qualia sint elementa, & quibus qualitatibus prædicta?

Galenus vult, primas quatuor qualitates inesse elementis: sed elementis πρώτως: corporibus mistis δεύτερως: idque propter elementa, ex quibus componuntur. cap. ult.

Putat autem, elementa habere qualitates istas in gradu summo: & Ignem summè calidum & siccum: Aerem summè calidum & humidum: Aquam summè frigidam & humidam: Terram summè frigidam & siccam esse. Cap. 6.7. & 9.

Nam quæ corpora sub Luna simplicissima sunt, omnisque mixtura expertia, ea etiam qualitates, quibus prædicta sunt, summas habent. At & elementa simplicissima sunt corpora, omnisque mixtura expertia. E.

Qualitates basce summas habent. cap. 6.

Major probatur. Q. corpora qualitates habent fractas, retusas atque

remissas, ea mixta videntur. At simplicissima corpora mixta non sunt: E.

Simplicissima corpora & omnis mixtura expertia qualitates non habent fractas, retusas atque remissas: sed summas omnino & excellentes. Hæc major rursus confirmatur. Ibi qualitates sunt contrariæ, ibi corpus est mixtum, ex ejusmodi scil. corporibus conflatum, quæ contrarijs constant qualitatibus, quarum altera alteram obtundit & frangit. At ubi qualitates sunt retusa, remissa & fracta, ibi qualitates sunt contrariae. E.

Ibi qualitates retusa, fracta & remissa, ibi corpus est mixtum. Secundas qualitates tactiles quod attinet, est Ignis, ut ex Galeno colligimus, levissimus, inter elementa supremus, purissimus, rarissimus: Aer levis, tenuis, & rarus: sed minus, quam Ignis. Aqua gravis, crassa, densa: at minus, quam Terra. Denique Terragravissima, densissima, solidissima, & imo in loco collocata.

QUÆSTIO X.

Quomodo elementa homini insint?

Respondet Galenus, inesse homini, non tantum secundum substantias: neque tantum secundum qualitates: sed secundum utrasque: non integras tamen & sinceras, sed mutatas, alteratas, & per tota confusas: adeò ut libera & sui juris amplius non sint: sed ligatae quasi atque interceptae mutua qualitatum pugnantia, ut pristinas vires expromere non valeant. Non enim aquæ validas vires elementa in mixtis refinent ut antea, cum essent mera & sincera. Illæ enim ab actione elementi contrarii fracta sunt atque retusa.

Quod si negaveris, elementa homini inesse, propterea quod nullum ex ijs sincerum & integrum in illo conspiciatur, respondebit tibi Galenus, contra omnem rationem hoc te negare. Etenim sinegandum, elementa homini inesse, quod sincera & integræ non insint, negandum etiam foret, Tetrapharmaco v. g. inesse ceram, resinam, picem, & adipem: quia nil horum integrum atque sincerum in illius compositione cernitur. At consequens negatur absurdè. E.

Et antecedens, cap. s.

Nam quæ per tota miscentur, ea amplius sincera & integra videri nequeunt. At elementa per tota miscentur. E.

In mixtis non amplius sincera & integra videri possunt. cap. s.

II. 55

II. Si ne illa quidem, quæ per tota non miscentur, sed duntaxat in tenuissimum trita pollinem juxta se ponantur, cerni possunt sincera & integra; & inesse tamen minimè negatur: sanè neque inesse mistis negari debet elementa, licet sincera ad oculum demonstrari nequeant. Ratio est: quia hæc per tota miscentur & alterantur: non solum juxta se ponuntur & confunduntur. At illa, quæ sic tritæ sunt & confusa, cerni nequeunt sincera, & inesse tamen composito minimè negatur. E.

Neque inesse negari debet elementa, quamvis talia, qualia fuerunt, ad oculum demonstrari non possint. cap. 5.

III. Si ne in mundo quidem ostendi possunt elementa sincera & impermista, & tamen in mundo esse minimè ambigitur: sequitur, neque postulandum esse, ut eadem sincera & impermista demonstrentur in animalibus: &, si talia demonstrari nequeant, non ob id negandum, animalibus ea inesse. At in mundo elementa sincera & impermista ostendi non possunt: & tamen de illorum existentia minimè ambigitur. E.

Neque petendum, ut illa sincera & impermista demonstrentur in animalibus: &, si talia demonstrari nequeant, non ob id negandum, animalibus inesse. cap. 5.

Minor probatur. Nam si, v. g. quæcunque terræ particula alicujus & caloris, & humoris, & aëreæ substantiæ particeps est, sequitur, terram in mundo sinceram & impermistam ostendi non posse: Ratio est: quia sincera & mera terra densa est, gravis, sicca & frigida. At prius est verum. E.

Verum & posterius. cap. 5.

Neque vero propositio hæc terræ solum probari potest exemplo, sed etiam reliquorum elementorum. Omnia enim hoc in mundo eadem est conditio: quia nullum reperitur purum: sed omnia sunt adulterata, & alijs, quæ diversi sunt generis ac naturæ, permista: semperque alterum alterius magis minusue particeps est: illius tamen forma & species est evidenter, quod prædominatur, aliaque excedit. cap. 5.

Obijcies: in mundo monstrari possunt elementa, v. g. corpora planè terrea, ut lapides: in animalibus autem demonstrari non possunt. Non igitur animalibus insunt.

Respondet Galenus, talia elementa etiam in animalibus monstrari posse, qualia in mundo existunt: nempe non pura, mera ac sincera, omnisque planè mixta & experta: sed adulterata, & alijs corporibus, specie inter se differentibus, permista. It enim in mundo non sincera terra, sed terra duntaxat corpora possunt exhiberi: ita quoque in animalibus non

terra ipsa, sed solum corpora terrae avaroia visuntur: v. g. ossa, cartilagines, pili, & in testaceis animalibus teste, quae sunt in speciem terrae concretae & exiccate.

Itaque concludit Galenus, non amplius impermitemus quicquam in animalium corporibus exquirendum esse: sed quotiescumque viderimus aliquam particulam frigidam, siccam & densam, eam satis nobis esse debere ad terram in memoriam nobis revocandam. Si deprehenderimus in illis humidum aliquid corpus, idque rarum & fluens, id nos de aqua praesentia monere debere. Calorem vero, qui plurimus est in corpore animalis, memoriam ignis nobis refricare posse. Spiritum, sine quo animal vivere nequit, efficere, ut partim aerem, partim etiam ignem animo cōcipiamus.

Quodsi pertinaciter tuo inhaerere proposito volueris, & petere, ut elementapura, vera ac sincera in animalibus tibi demonstremus, petemus & nos, ut tu nobis prior in Tetrapharmaco ceram, aut resinam, aut picem, aut adipem (ex his enim est conflatum) aut in pulvere, qui ex cadmia, aere, & stibio est compositus, vel cadmiam, vel aes, vel stibium ostendas. Hoc enim tibi facere incumbet magis: quoniam vera & naturalis mistio in tetrapharmaco non est, sed talis, qualis ab arte praestari potest. Neque ulla mistio est in pulvere proposito, sed tantum simplicium exacte tritorum & levigatorum juxta se positio. In animalibus autem elementata totis substantijs mutata sunt. At neque ceram v. g. in Tetrapharmacoz neque cadmiam in adducto pulvere ostendere potes. Itaque aquum est, ut nec a nobis demonstrationem elementorum in animalibus postules. C. 5-

QUÆSTIO XI.

An elementis tales sint concessæ qualitates, quarum vi & efficacia alterari, & per totam substantiam mutari queant, ut ex illis generari possit aliquid a singularis diversum?

Ad hanc questionem respondet Galenus ajendo: & eas qualitates dicit esse caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem. Fundamenti vero loco presupponit, quod simplicia illa corpora, ex quibus, tanquam ex elementis, homines ceteraque omnia mixta corpora generantur, alterari & mutari, non foris solum & in superficie, sed etiam per totam

tam substantiam debeant. Nam quae sunt ἀπαθή καὶ ἀνάνια, & eadem etiam manent in rerum generatione, qualia erant ante, ex ijs nihil, quod specie diversum sit, gigni potest. At ex elementis gignuntur corpora specie ab illis diversa. E.

Elementa non sunt ἀπαθή καὶ ἀνάνια.

Majoris veritas elucet ex decisione questionis 5. Minorem autem planam facit.

Quodsi ergo ex elementis corpora specie diversa nascuntur, necesse est, tales illa habere facultates, quibus, dum se mutuo tangunt, etiam se mutuo per totam substantiam alterare & mutare valeant. At facultates istae qualitates sunt. Quocircà vel tactiles primæ, aut secundæ, vel visibiles, vel audibiles, vel olfactiles, vel gustabiles sint oportet. Sed neque sunt tactiles secundæ, neque visibiles, neque olfactiles, neque gustabiles. E. sunt tactiles prima.

Quod non sint tactiles secundæ, v. g. gravitas, levitas, asperitas, lenitas, densitas, raritas, crassitas, tenuitas, durities, mollities, visciditas, friabilitas &c. hinc perspicitur: quoniam qualitates, quæ in causa sunt, ut elementa per tota mutari & alterari, & ex illis aliquid specie diversi generari queat, ita comparata esse debent, ut corpora, quæ tangunt, alterare ac mutare possint. At qualitates tactiles secundæ hoc non faciunt. E.

Non sunt illæ elementorum facultates, de quibus hic queritur. c. 9. Minorem probat experientia. Nam si res gravis tangat levem, neque gravis fiet levis: neque levis evadet gravis: eademque ceterarum secundarum tactilium qualitatum est ratio. cap. 9.

Dices, mollem & duram, viscidam & friabilem qualitatem vim alterandi habere. Respondet Galenus, qualitatem mollem & viscidam ad humidam: duram verò & friabilem ad sicciam pertinere. Alterare ergo & mutare hasce qualitates virtute qualitatis humide & siccæ. cap. 9.

Ceterum, quod neque qualitates audibiles, visibiles, olfactiles & gustabiles rerum substantias mutare valeant, notorium est. Ideoque prolixius hoc minimè probandum. cap. 9.

Relinquitur ergo, vires & facultates, quibus elementa per tota mutantur & alterantur, quæque faciunt, ut res specie diversa ex ijs generari posint, esse qualitates tactiles primas: nimirū caliditatem, frigiditatem, humiditatem & siccitatem.

Nam si res calida accedat ad frigidam, eam alterabit & calefaciet, ut testatur Ignis, qui res sibi admotas calefacit. Si frigida apponatur

calida



calida, eam refrigerabit. Eademque ratio est rerum humidarum & siccarum, quarum quælibet vim alterandi habet, sibique assimilandi ea, quæ contingit. cap. 9.

Quapropter concludimus, & sic ratiocinamur.

Quæ qualitates sunt Igni, Aëri, Aquæ, & Terræ communes cum omnibus corporibus sublunaribus: quæ item prima sunt naturæ, & à quibus reliquæ omnes dependent: quæ elementorum sunt constitutrices, h. e. faciunt, ut elementa sint elementa & principia corporum mixtorum: quæ denique totam rerum substantiam, quas tangunt, alterare possunt, eæ sunt illæ elementorum facultates & virtutes, quarum vi sic mutari & alterari queunt, ut corpora ex elementis specie diversa generari valeant. At 4. qualitates tactiles primæ sunt 4. elementis dictis cum omnibus corporibus sublunaribus communes: naturæ primæ: elementa constituunt: rerumque substancialias, quas tangunt, alterare possunt. E. sunt elementorum facultates & virtutes, quarum vi sic alterari & mutari queunt, ut corpora ex elementis specie diversa generari possint.

COROLLARIA.

- I. Elementum & Principium idem non sunt.
- II. Elementorum doctrina nōtē physica est: x̄nōtē medica.
- III. Differt tamen medica à physica, i. subjecto, cui elementa insunt: 2. modo tractandi: 3. fine.
- IV. Elementorum consideratio in omnibus Medicinae partibus locum habet: sed ratione dispari.
- V. Quatuor primæ qualitates non sunt formæ elementorum substanciales.
- VI. Etsi 4. illæ qualitates agant omnes; rectè tamen in activas & passivas dividuntur.
- VII. Calor cœlestis, elementaris, animalis, sive innatus sit, sive influens, specie inter se non videntur differre.


F I N I S.

Cf 133


(x 260 9941)

VD17

Aus dem Nachlasse
des
Geh. M.-R. Prof. Dr. Ernst Blasius
der Universitäts-Bibliothek
geschenkt
von seinem Sohne
Dr. med. Heinrich Blasius in Berlin.



Farbkarte #13



B.I.G.

QUAESTIONES
EX GALENI LIBRO
PRIMO DE ELEMENTIS
DESUMPTÆ,


*Et in inclyta Argentoratensium Academia
publici exercitij gratia propositæ*

MELCHIORE SEBIZIO, DOCTOR
ET PROFESSORE MEDICINÆ
ORDINARIO, COMITE PALATI
no Cæfareo, & Reipubl. Archiatro:

Respondente

JOANNE JACOBO WEPFER / SCHÄ.

F. C. PHUSIANO. 1641.
Die 24. Sept.



ARGENTORATI

Typis JOHANNIS GEORGII SIMONIS.
Anno M. DC. XLI.

2